

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## LIX.

*Salutem in Christo Servatore plurimam.*

**L**iteræ tuæ, Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater plurimum colende, dilectissimeque, per Dominum Episcopum ad me transmissæ, probè mihi sunt redditæ, una cum tribus Orationum, à R. T. D. habitatum exemplaribus, pro quibus Dominus Præpositus, Parens meus & ego summas agimus & habemus gratias; nullam gratitudinis reipsâ declarandæ occasionem neglecturi. DEUS Opt. Max. R. T. ad nominis sui sacratissimi gloriam & Ecclesiæ fructuosam ædificationem quam diutissimè conserver, Amen.

Nova, quæ de Illustrissimo Domino Administratore & Principe Wirtembergico Juniore scripsisti, Illustrissimo meo Principi, (cujus celsitudinè literas T. R. secretò communicavi) non displicuerunt. Significavit tum mihi Celsitudo ejus, optare se, *ista inter nos secreta permanere, &c.* DEUS Opt. M. Vestræ Dignitatis pium & laudabile votum clementer ratum faxit, Amen. Quod superest, Rev. Tuam cum Reverendis Dominis Collegis, in primis clarissimo viro, Domino D. Pappo, divinæ bonitati observanter & obsecranter commendo. Raptim, 19. Octobr. Anno 96.

Parens meus Huberi Confutationem justam jam adornavit, quæ, ut spero, propediem evulgabitur.

*Rev. Tuæ Dign.*

*observantissimus*

Andreas Osiander, D.



## LX.

*S. D. Reverende & clarissime Vir, Domine Compater & frater carissime.*

**Q**uas 3. Calend. Januar. exeuntis anni 96. unâ cum prioribus, quas in nondinis Francofortensibus ad me misisti, rectè accepi, & pro Orationibus certamina Nestoriana, Eutychniana, Macedoniana, complectentibus officiosè gratias ago, ac te illarum editione præclare de Ecclesia meritum esse judico. Rumor de obitu Cardinalis Lotharingi in Sueciam usque penetra-

Eee ee

verat,

verat, qui ex tuis literis refutatus est. In Sueciæ regno omnia perturbatissima sunt. Comitatus Sudercopiæ ante fessquiannum Carolus, regis patruus, qui se Governatorem regni nominat, rege Sigismundo non antè consulto indixerat. Inde gravissima offensio regis secuta. & nomine ordinum totius regni Poloniæ legati in Sueciam missi, quorum orationis summam, una cum Suecici responsi capitibus in adjuncta pagella annotavi; quæ cum priore, nuper ad te missa, cui titulus est: Memorabiles aliquot evenus anni 1596. coheret. Nuptiæ sororis Regiæ & Illustrissimi Administratoris vestri ad Cal. Maji proximas, Stocholmii celebrandæ, per regis Sigismundi & Administratoris Magdeburgensis literas, amicis indicatæ sunt. Uterque enim senem Principem meum Ulricum Ducem Megapolitanum, invitavit. Georgium Rosam ingeniosissimum juvenem à me quoq; ad te literas habuisse arbitror, & filiis tuis de tali vitæ & studiorum inspectore, fide & industria, gratulor. Quod monumenta fratris, D. Erasmi, p.m. in lucem edere constituis, pietatem tuam laudo. De Ungaricis & Turcicis rebus meminisse horret animus, luctuque refugit, & Ducum nostrorum vanitatem miror, qui post fedissimam fugam tamen Thralonicè de victoria gloriantur. Ecclesiæ & Academiæ vestræ tranquillitatem, quàm prædicis, gratulor, & DEUM, ut nos omnes doceat, gubernet ac servet, oro. Bene & feliciter vale. Reverendum & Clariss. Virum, D. Joannem Pappum, Superintendentem vestrum, reverenter saluto. Rostochii. Dominica mulieris Cananæ, 20. Februarii, Anno 1597.

David Chytræus, manu  
arthritica.



## LXI.

S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.

Multos annos in hac urbe vixit hic Jacobus Rihelius Argentincnsis, qui ad conducendum fratri Regis Daniæ juniori hospitium nunc præmittitur. Nolui igitur sine meis literis eum ad te venire, tametsi omnia, quæ scire de hac urbe & vicinia voles, ex ipso cognosces. Mitto Legatorum Regni Poloniæ Orationem in Suecia superiori anno habitam. In qua nunc CAROLUS regis Sigismundi patruus dominatur. An Johannes Georgius Marchio, sponfus sororis Regiæ, adhuc illuc commoretur, doceri velim. Bene & feliciter vale. In feriis Pentecostes, Anno  
1597.

David Chytræus,  
LXII.